VI.

PROGRAMM

des

Gymnasiums zu Creuzburg O.-S.

womit zu der

Freitag und Sonnabend den 4. und 5. April 1879

stattfindenden öffentlichen

Prüfung der Schüler

die

Wohllöblichen Behörden und alle Freunde und Gönner der Schule

ergebenst einladet

Gymnasial-Oberlehrer Jarkłowski,

Directorats-Verwalter.

Inhalt:

1879. Progr. Nro. 151.

1 8, 7, 8. *(ed. L. Muelleri).*

Tu pedibus teneris positas fulcire ruinas
Tu potes insolitas, Cynthia, ferre niues?

Cynthia poëtam deserere et Oricum proficisci animum induxit. Quare ne nauem conscendat, poeta orat et obsecrat, et quae pericula in itinere subeunda sint, quam maxime potest hac elegia exprimit et proponit „Tu, inquit, audire potes uesani murmura ponti, fortis et in dura naue jacere potes?“ Sequuntur quos supra dixi uersus. Quibus explicandis uiri docti operam dederunt maximam.

Codices praebent: *positas fulcire ruinas*, id quod intellegi non potest, nisi *ruina* pro grandine uel niue dictum est ut *caeli ruina* pro pluuia apud Virgilium et *poli ruina* pro tonitru apud Valerium Flaccum.

Quamuis autem ruinae uoci significationem illam inesse etiam Scaliger doceat, (ruinas, inquit, uocat, ni fallor, ruentem caelo aquae concretae et niuis stragem) *fulcire* pro insistere poni adhuc nemo satis euicit. Nam quod Herzbergus affert locum Persii, nihil moueor; ibi enim *fulta* idem quod pressa significare mihi persuadere non possum. Nec quod in Aldinis editum est: *sulcare pruinas*, nec, quod alii uoluerunt, *calcare* efficit sententiam satis idoneam. Qui enim potuit fieri, ut Cynthia pruinam sulcaret uel calcaret per nauem ambulans, quomodo tam ingens pruinae copia in naue possit coacervuari? Nec satis eleganter dictum uideatur, id quod iam Herzbergus adnotauit; teneras Cynthiae pedes comparari cum aratro uel cum equi ungulis nullo modo potest ferri.

Super ire Burmanni commentum et nimis aberrat a codicum litteris et parum redolet poetae ingenium.

Denique sententiarum conexus aliud aliquid efflagitat. Quoniam enim poeta perhibuit u. 8: „Tu potes insolitas, Cynthia, ferre niues“ u. 7 *ruinas* vel *pruinas fulcire* pro: per pruinam incedere ponens idem fere significaret duobus uersibus. Post uersum autem sextum: „Fortis et in dura naue iacere potes“ ita eum pergere uerisimilius est: Nec tu, qui est perpetuus nauis motus praesertim mari fluctuante uel tem-

pestate coorta, satis habebis uirium, ut possis stare vel incedere. Tu quidem titubabis et laberis et *ruinam* dabis, (sicut Capaneus III 32, 40: Aut Capanei magno grata ruina Ioui) nec tu poteris *fulcire* ruinam (Conf. Cic. post red. in sen. 8: horum consulum *ruinas* vos consules virtute vestra *fulsistis).* Iam restat: positas, id quod ex *pronas* scribarum errore ortum esse mihi persuasum habeo.

Ergo ita scribendum esse censeo:

Tu pedibus teneris p r o n a s fulcire ruinas.

---

3 17, 23 24.

Libertas quoniam nulli iam restat amanti,
Nullus liber erit, si quis amare uolet.

Comparatur hoc carmine ingenuarum feminarum amor ita cum amore libertinarum, ut hic illi longe praeferatur. Cuius comparationis partibus singulis absolutis u. 23, 24 poeta, quoniam amantium nemo liber sit, neminem amantem liberum esse asseuerat. Non fugit haec eiusdem sententiae repetitio Herzbergum et Iacobum; et G. Fischer (in diss. Bonnensi) uersus illos esse spurios uere sibi uidetur posse contendere. Mihi quoque persuasum est hoc carmen talem exitum non habuisse. Quare diligentius totam elegiam intuenti poeta mihi in comparatione illa instituenda unum uidebatur omisisse, ingenuarum feminarum amori propterea priores partes esse deferendas, quod ingenuum ingenuam amare oporteat non libertinam. Extremis autem uersibus hanc ingenuarum amoris laudem poeta ita attingit, ut simul diluat omnem uim eiusdem argumenti. „Utrum, inquit, puellae liberae sint, necne, nihil iam interest; nam nemini, qui amet, restat libertas." Cum autem Cic. ad Att. 3. 19 ita legamus: „Non quo mea interesset loci *natura*" fieri potuisse ratus sum, ut non solum neutrum pronominis sed etiam substantiua nonnumquam hoc modo primum casum apud interesse usurparent. (Conf. Haasii adn. ad. Reisig. lect. 528 pag. 640.) Itaque lego:

Libertas, quoniam nulli iam restat amanti,
N u l l i u s i n t e r erit, si quis amare uolet.

I 20, 25—30.

Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles,
Hunc super et Zetes, hunc super et Calais.
Oscula suspensis instabant carpere palmis,
Oscula et alterna ferre supina manu.
Ille sub extrema pendens secluditur ala
Et uolucres ramo submouet insidias.

Quod nonnumquam accidit, ut is de quo agimus poeta aliquo artificio uel picto uel sculpto, ut carmen pangeret, commoueretur, ita illo loco tabulam pictam ei ansam dedisse apparet, ut casum illum Hylae exponeret. Etenim gratificaturus Gallo poeta imagine eius generis conspecta Hylam comparat cum puero ab illo amato. „Hylam, inquit, puer tuus aequiperat pulchritudine, sed caue, ne similem subeat calamitatem". Jam cum poeta in describenda imagine, quae in tabula uno tamquam temporis momento exprimuntur, omnia ita iubeat ante oculos agi, ut singulae actiones alia aliam inter se excipiant, media fere in elegia ad Boreadas uenit Hylam persequentes, id quod idem fuisse pictoris momentum tabulae traditum inde coniciatur, quod apud poetas non reperitur, quae noster interserit de Aquilonia prole.

Offendit autem in hac descriptione u. 29 ita in codicibus exaratus: Ille sub extrema pendens secluditur ala. Heinsii coniectura: *„Ille sub extrema pendentes ludit in ala* refutata Lachmannus ita interpretatur. „Eorum alterum cum supra caput suum suspensis palmis, ut oscula supina ferret, uagantem uidit, sinistra manu extremam alam, hoc est remigium pennarum longissimum arripit, itaque dum ille altius uolare nititur, sub ala pondere deorsum tracta pendet, qua arte ab ore appetentis secluditur ac removetur, alterius uolucres insidias ramo in dextram sumpto a se submouet."

Nihil contra Iacobus. Herzbergus autem suo iure quaerere uidetur, quidni contraxerit Boreades alas, ut delapsus in terram apprehendentem Hylam pedes et cominus a sinistra invaderet.

Quod quamuis Herzbergo concedam, non facio cum eo interpretante extremas alas non infimam alarum partem sed summam alam significare. Ipse enim Herzbergus scrupulum illum in Lachmanni interpretatione relictum nullo modo tollit. Quidnam esse censebimus, quod Boreades ita sit prohibitus, quominus contractis alis pedes manibus puerum arriperet?

Mihi quidem Hylas si forte ala apprehensa paulisper pependisset, nisi statim emisisset plumas, nimis stulte et temere egisse uideatur. Nam nisi terra nixus et fortiter ramo persecutores aggressus non ab eorum impetibus potuit defendi. Itaque nullo modo pendentem puerum poeta videtur finxisse, sed *prudentem* et hunc sententiarum uoluisse conexum: Puer persecutores manibus appetentes ramo amouet et tum ad sinistras, tum ad dextras alas eo consilio declinat, ne arripiatur manibus alis quidem breuioribus. Prudentem se praestat hoc modo impetus iterum atque iterum repetitos non sine magno suo gaudio effugiens.

I 3, *16*

Osculaque admota sumere et arma manu.

Zeugma, quamuis Herzbergo defendente, admodum durum est, neque cum Lachmanno facio arma sumere idem ac dulce Veneris bellum parare interpretante. Accedit quod et apud Lachmannum et apud Herzbergum illud *admota manu*, quid sibi uelit, recte perspici non potest. Nec uero coniecturis *cara* Muelleri aut *grata* Rossbergi controuersia dirimitur; nimis illa adiectiua superfluunt; nam bibulo illi grata uel cara uisa esse Cynthiae dormientis oscula quis est quin concedat.

In mentem mihi uenit Ariadnes illius simillimae quidem Cynthiae hoc loco a poeta descriptae, ut ita hunc locum non falso interpretari mihi uidear: Cynthiam enim non certis manibus caput nixam osculaturo et subiecto leuiter positam lacerto temptaturo cum manus Cynthiae obstarent, altera certe manus ab aure amouenda erat. Quam rem commemorare poeta propterea non supersedebat, ut puellae iacentis speciem et formam quam accuratissime adumbraret. Itaque legendum esse hunc uersum suspicor:

Osculaque a m o t a sumere ab a u r e manu.

---

2 5, 27, 28.

Scribam igitur, quod non umquam tua deleat aetas,
Cynthia forma potens, Cynthia uerba leuis.

Uerba leuis codices omnes et edd. veteres. Dresd. superscriptum praebet: *sermo.* Scaliger conicit: *Cynthia forma potens Cynthia uerba lues. Uerba* hoc loco pro *periurium* positum contendit. Lachmannus nihil mutat. Paldamus: *forma leuis.*

Haec elegia in eorum numero habenda est, quibus poeta Cynthiae moribus exacerbatus non iam irae compos dolori suo nimis indulget.

V. 1—8 minatur se omnino eam deserturum et aliunde puellam petiturum esse. Interiectis uersibus 9—16, quibus ipse se hortatur, ut quam celerrime fugiat, ne languescente ira consilium mutaret, denuo ad Cynthiam conuersus, nisi finem faceret peccandi, poenas se repetiturum esse crudelissimas asseuerat; quamquam non rusticorum more eam manibus adortum sed armis poeta dignis scilicet uersu illo 28. Praemisi argumentum, ut eluceret uersum illum non fuisse telum, quale minabatur, mortiferum et Scaligeri quoque coniecturam mucrone carere. Nam quomodo stare possit post uersus uehementissimos et rhetorice pronuntiatos hosce:

Nec tibi periuro scindam de corpore uestem
Nec mea praeclusas fregerit ira fores
Nec tibi conexos iratus carpere crines
Nec duris ausim laedere pollicibus.

Scaligeri illud nimis languidum: *uerba lues?*
Iam auxilium peto e lib. III el. 22:

Nunc admirentur, quod tam mihi pulchra puella
Serviat et tota dicar in urbe potens.

Hoc loco *potens* ita positum est, ut ei contrarium sit *seruire.* Nostro autem loco uoci *forma potens* contrarium aliquid opponi necesse est, cui insit ignominia acerbissima. Iam si illo loco III 22 nixi contrarium illud quaerimus uoci *potens,* non quidem *serua* recipiamus parum ignominiosum, at *uerna* et contrarium et satis ignominiosum. (cf. Beckeri Gallus II p. 109. sq. de licentia uernarum uulgata).

Ergo ita poeta versum scripsisse mihi uidetur:

Cynthia forma potens, Cynthia *uerna* leuis.

4 8, 7. 8.

Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex aequo ducitur ulla iugo.

Qui versus in codicibus extat: *Flamma nec ex aequo ducitur ulla iugo* sensum non praebet. Nec Lipsii coniectura: *Fama* nec ex aequo ducitur *una* iugo sententia satis accurate exprimitur. Lachmannus autem et recentiores *Fama* quidem recipiunt, sed pro *una* reponunt *ulla*, quod aequum iugum, ut ait Lachmannus, nihil aliud est, nisi mons ascensu facilis. Hoc autem poetam ille dicere uoluisse existimat, si recte intellego: magno tantummodo negotio attingimus artis cuiuscunque undique perfectam et expletam formam famamque inde possumus summam acquirere uel ducere. Qua in interpretatione Herzbergus acquiescendum esse negat conexu sententiarum obstante; et *aequo* eodem sensu quo *pari* positum esse contendit. Atque hoc quidem Herzbergo concedam conexum turbari, quippe poeta uersu 7 certis finibus circumscribat hanc sententiam: non omnia possumus omnes, accuratiusque illustrat usque ad u. 20: Naturae sequimur semina quisque suae. Sed fac ut poeta, sicut Lachmannus, vult, scripserit, nonne in operis difficultate grauatus tergiuersari uideatur?

Verumtamen Lachmannus suo iure agere existimo *ex aequo iugo* pro *ex eodem iugo* poni negantem.

Itaque hunc locum ita esse sanandum existimaui, ut *ex aequo* reiecto sententia illa u. 7.: non omnia possumus omnes per translationem repetita planius exprimeretur.

Iam vero cum *flores semine. sparso educere*, *infantem educere* sit uulgatum, et *ducere* verbum pro *educere* passim a Propertio adhibeatur, ut III 4, 6 Ismaria ducere ualle feras (Conf. de uario h. u. usu: De Propertii elocutione quaestiones B. Kuttneri, Berolini 1878) nostro quoque loco ducere pro educere positum esse non a uero abhorrere mihi uidetur. Ergo leui litterarum mutatione facta, quam supra exposui uersus 7 sententiam et cod. autoritatem strictius obseruaturus uersum 8 emendaui hoc modo:

Flammea nec *quoquo* ducitur *una* iugo.

2 3, 24.

Candidus argutum sternuit omen amor.

Aridus codices exhibent. Apud Macrobium de differentiis et societatibus gr. et lat. uerbi uersus sic scriptus inuenitur: *Candidus augustae.*

Candidus ex Macrobio receperunt omnes fere editores. Herzbergus *ardidus*, quod codices vel *arduus* G. vel *arridus* H. V. M. praebent, haud feliciter defendit. Nam quamuis a u. d. nouum uerbum per analogiam formatum esse concedatur, tamen diffidere nos ei par est, praesertim cum hoc loco Amori attributum ualde displiceat. Quidnam, quaeso, rei est Amori ardido cum nascente puella? — Neque tamen Macrobii auctoritatem pluris quam codicum nostrorum pendo; nam *augustae* uerbo apparet, uersum ex libris inferioris notae quam N. perscriptum esse. Nec scribarum errore illud *augustae* apud Macr. pro *argutum* irrepsit, siquidem incertus ille grammaticus in epitome Macrobiana eodem modo illum uersum perscripsit.

Itaque omisso Macrobio, cum longe pluris nostrorum codicum consensum pendam, num ex *Aridus* illo aliud aliquid effici possit, quam Herzbergus uoluit, uideamus. Poeta praedicat se non tam pulchritudine puellae captum esse, quam quod formose saltaret, lyra caneret, carmina pangeret, se non ita facie quam artibus eius permulceri. Iam cum pergat: tibi nascenti argutum omen sternuit Amor, consentaneum est eum non simpliciter omen dixisse argutum, sed adiecisse, qua re omen illud argutum (nueancirt) esset i. e. *artibus* supra dictis, abl. causae pendente ex uoce argutum.

---

4 7, 37. 38.

At tibi, qui nostro nexisti retia lecto,
Sit socer aeternum nec sine matre domus.

Languet vers. 38. Nam poëtae animus, nisi magis efferuesceret hominis illius audacia, nimis patiens esset iniuriarum. Accedit, quod socerum primas discordiae partes agere, uix alias inuenimus, socrum potius et generos odio inter se quam maximo ardere adhuc moris erat et apud antiquos et apud nostrates. Denique partes uersus non satis concinnas esse uix quemqam fugiat (Sit socer — sit domus cum matre.) Scribo:

Sit *sacra infernum* non sine matre domus.

Radicitus, inquit poëta, te et domum totam tuam euertant di inferni.

Inferni substantiui loco ponitur his quoque uersibus:

III 26, 3. Sunt apud infernos tot milia formonsarum.

II 1, 37. Theseus infernis, superis testatur Achilles.

Uers. III, 26 3 suspectum habent Heimreichius et Weberus, uix enim credibile esse in uno uersu poetam ter singulari ratione locutum esse. Verumtamen uersum interpolatum esse vv. dd. quamuis grammaticis rationibus pugnent, nullo modo concedam. Tota enim elegia III 26, nisi omnino reiciatur, illis uersibus carere non potest; in iis tanquam eius est robur, unde totius carminis rami, ut ita dicam, proueniant et nascantur. Nec cuiuis interpolatori sententiam tam amabilem attribuam, quippe elegantis poetae ingenium nimis eluceat. — Versum II 1, 37 quod conexum sententiarum turbet exulare iubentes caueant, ne, qui eodem iure quosdam antecedentes uersus excidisse contendant, poetae melius consulere uideantur.

---

3 12. 31.

Quin ego in assidua mutem tua nomina lingua,
Absenti nemo ne nocuisse uelit.

Jacobus: *Haec ipsa solitudo tua curam eximere mihi non potest, quin, absenti mihi, ne quis noceat, metuam* interpretatus *metuam* illud ex *mutem* corruptum esse censet. At quod u. d. elegantissime coniecit, iis quae antecedunt versibus valde repugnare existimo. Modo enim dixit poeta se nihil timere u. 1—10.

Nullus erit castris iuuenis corruptor in agris,
Qui te blanditiis non sinat esse probam,
Sola eris et solos spectabis, Cynthia, montes,
Et pecus et fines pauperis agricolae,
Illic te nulli poterunt corrumpere ludi et qu. seq.

Nec quomodo cum uersibus illis congruat, quod Herzbergus commentus est, intellego „*Quamuis tu procul ab urbe corruptrice in solitudine montium agas, non tamen satis securum me ratus abstineo ,quin de te tuaque fide anxius tuum nomen mente et ore uoluam i. e. mutem.* (pro: *mouitem).*

Ab utroque enim poeta magni timoris arguitur, quo dum Cynthia ruri uitam ageret se prorsus destitutum esse ipsis uerbis s. d. profitetur.

Restat praeterea ita interpretantibus haec altera crux: *nemo ne*; duas enim negationes pro una poni in prohibitiuis enunciatis nemo adhuc satis euicit.

Iam uide, sis, num contigerit nobis, ut aliquod lumen huic loco afferremus.

Primum enim uersus 25 et 26:

Tu quotiens aliquid conabere, uita, memento
Venturum paucis me tibi Luciferis.

sedes mutare et finem elegiae occupare iubeo, nam his uersibus aptissime concludi epistolam pro certo habeo. Quo modo u. 26 *Integit et niueos abluit unda boues* excipitur uersibus qui feruntur 29—32 *Sic me nec solae* e. q. s., *Sic* particula uim demonstratiuam obtinente.

Deinde quod Burmannus coniecit: *Quin ego inadsueta uitem* tua n. l. ita interpretatus: contra solitum morem uitabo de te loqui apud alios, ceteris quae Burmannus commentus est, reiectis, *uitem* illud praefero omnibus coniecturis (congestis apud Herzb. ad hunc locum) et in meum usum conuerto. —

Tum in *assidua lingua* pro in assiduo sermone esse dictum mihi uidetur ut Cic ad. fam. 9. 2: ut uitemus oculos hominum, si linguas minus facile possumus, et Liv. 33. 31. Si Aetolorum linguas retundere uellent. cf. Prop. el III 30, 25: Sed tu non debes inimicae credere linguae.

Postremo Neap. auctoritatem secutus *Nemo non* retinendum esse censeo, neque quemquam crucem illam tolli uetiturum esse confido.

Iam uide, ne euadat aptissima sententia haece: Dum tu sola deuia rura colis, ego quoque solus ero, uenationi operam dabo fluminum et siluarum socius et comes Nam sic (hac ratione) non possum prohiberi, ne *uitem* assiduum hominum sermonem tua nomina perstringentium; tibi enim absenti *nemo non* maledicit (cf.III 30, 23 s.: Nuper enim de te nostras me laedit ad aures rumor, et in tota non bonus urbe fuit (Schneidewinus *maledixit* ad aures) II 5, 1 s: Hoc uerumst, tota te ferri, Cynthia, Roma et non ignota uiuere nequitia. III 11, 15. Credam ego narranti, noli committere, famae, et terram rumor transilit et maria. etc.)

---

3 32, 31.

Tu satius memorem lusus mirere Philetam.

Codd. N et G: *memorem Musis*. Quod cum sensum satis idoneum non praebeat, multitudinem coniecturarum inuenimus apud Burmannum, Lachmannum, Jacobum, Paldamum, Herzbergum. Inter recentiores Hauptius emendauit: *Tu Latiis Meropem musis imitere Philetan.*

Quamquam uu. dd. huic loco operam nauantes acumine et doctrina admirationem excitant summam, tamen iudiciis tam discrepantibus, ut locum denuo tractarem sum commotus.

Poeta enim cum haec dixerit: Tu ex omnibus, quos tractas, poetis et philosophis medicinam accipies nullam, aliunde eam appete, Philetam adi tuorum dolorum medicum optimum — ita igitur cum poeta locutus sit, quonam attributo hoc loco Philetam ornauerit, quaerendum esse uideatur. Id quod codices praebent, omnes reiecerunt, sed nec Scaligeri *meliorem Musis* placet nec recentiorum commentis id, quod poeta uoluerit, assequimur. Desideramus enim eiusmodi attributum, quo Philetas amoris medicus optimus significetur. Iam mihi in mentem uenit u. II 1, 63:

Mysus et Haemonii iuuenis, qua cuspide uolnus
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.

Telephus appellatur: *Mysus.* Quem quoniam cuspide Achillis uulneratum illa ipsa cuspide sanatum esse ueteres tradunt, eius rei memor poeta nostro loco amicum adhortatur, ut simili modo doloribus consulat. „Tibi, inquit, ab Amore uulnerato non ab heroico carmine auxilium petendum est, sed aeque ac Mysus ille fecit, unde ictus uenerit, tibi remedium afferatur, id est: ab amore. Hoc quidem non ignorabat Philetas, cum carmina amatoria pangeret eo maxime consilio, ut amoris ignem sedaret et exstingueret, et

Tu satius memorem *Mysi mirere* Philetan,

quam Homerum uel Platonem uel ceteros.

---

3 28, 13 — 22.

Cum de conexu totius huius elegiae uu. dd. alius aliam tulerunt sententiam, tum uersus 13 — 23 excitauerunt turbas maximas. Quibus cum tota quaestio tamquam cardine niti uideatur, priusquam ceteras elegiae partes attingamus, operam eis nauare non supersedi.

Sunt autem uersus apud M. ita perscripti:

Ista senes licet accusent conuiuia duri,
Nos modo propositum, uita, teramus iter.
Illorum antiquis onerentur legibus aures,
Hic locus est, in quo, tibia docta, sones,
Quae non iure uado Maeandri iacta natasti,
Turpia cum faceret Palladis ora tumor,
Num iam dura paras Phrygias nunc ire per undas
Et petere Hyrcani litora Eoa maris,
Spargere et alterna communes caede penates
Et ferre ad patrios praemia dira Lares.

K. Weberus in quaest. Prop. Hal. 1856, postquam Lachmanni, Keili, Herzbergi, Drenckhahni sententias repugnare conexui sententiarum contendit, non dubitat, quin prior carminis pars, (a. u. 1 usque ad u. 12.) Cynthiae, posterior poetae respondenti adscribenda sit, uersus autem 19—23 genuinos esse negat, eos enim plane esse inutiles, a conexu sententiarum dissentire, denique grammaticas exhibere difficultates maximas. Sine ulla dubitatione, id quod W. contendit, concedam, nisi uersus illos, ut scripti inueniuntur, utique scribarum errore corruptos esse euinci potest. —

Primum enim cum alii tum Weberus in u. 20. suspiciosum esse adiectiuum „*nota*“ ad litora Hyrcani maris appositum arbitratur; nam litora, quae tum primum innotuerunt, *nota* appellari non possunt. Heinsii *lata* Herzbergus refutat, litora enim illa apud antiquos montuosa et siluestria nominata esse adnotat multis scriptorum ueterum locis nixus. Itaque neque Lachmanni *nuda* probandum est. Herzbergi *nauta* propterea mihi displicet, quod ex Phrygia Hyrcanum mare petiturum magnam itineris partem non nautam sed peditem conficere necesse est, quo accedit, ut sequentis uersus uocibus *alterna caede spargere* militem non nautam dici appareat. Muelleri *Eoa* superuacuum esse Webero libenter concedam. — Deinde uersus:

Spargere et alterna communes caede penates,
  Et ferre ad patrios praemia dira lares.

Lachmanni interpretatione non satis possunt intellegi. „*Num tibi*, Lachm. auctore ait poeta, *adhuc sedet, nos qui hactenus una uiximus, bello et alterna tui hostiumque caede diuellere?*“ *Alterna caede* bellum significari recte iudicat neque tamen explicauit, qui fieri potuerit, ut Cynthiae et Propertii penates spargerentur alterna (Romanorum et barbarorum) caede. Nam tot bellis a Romanis cum gentibus barbarorum gestis patrios uel *communes* ciuium Romanorum penates spargi ne fando quidem auditum est.

Quomodo cum illos uersus iam iam labefactatos esse uiderem et ualde dubitarem, num iis aliquod fulcrum posset supponi, mihi omnino *Hyrcanum mare* et Propertius ad bellum profecturus in magnam suspicionem uenerunt; quidnam, quaeso, rei est Propertio cum castris et Phrygibus cum Hyrcano mari remoto? (Cf. II. 7. 14: Nullus de nostro sanguine miles erit.)

Dubito, num quis *Hyrcanum mare* hoc loco ita ambabus amplectetur, quin leui litterarum mutatione facta ex *Icarium mare* scribarum errore ortum esse patiatur. Etenim hoc modo uno saltu, ut ita dicam, quattuor apros capimus, si quidem et *Hyrcanum mare* et *poeta militans* et *nota* litora et *communes penates* quid sibi uelint uno obtutu perspicimus. Talis enim uersuum, quos supra dixi, conexus efficitur:

Ista conuiuia quamuis senes duri accusent, minime laude sua carent. Nam in iis locum habes tu, tibia docta, multa iniuste perpessa. Nam cum ab Athena oris tumore indignata in Maeandri fluctibus abiecta natares, per undas fluminis in Icarium mare, in quod influit Maeander, uecta ad *nota* litora peruenisti, (ad litora Ioniae, quae *nota* appellari neminem offendet) neciam molle amantium sed durum armatorum instrumentum in pugnis *(alterna caede)* sonans sparsisti *communes penates* (graecarum ur-

bium inter se dimicantium) et praemia dira cognatarum illarum gentium ad patrios Ionum Lares tulisti. Tu, quae olim in Ephesii Callini elegiis dura fuisti (ferociter sonuisti), nunc in nostris conuiuiis ea uteris condicione, quam efflagitas pro indole tibi innata, ut docte sonans indices amantium gaudia et dolores.

Hoc modo uersus interpretatus scribo:

Non iam *dura* paras Phrygias nunc ire per undas
Et petere *Icarii* litora nota maris.

Quomodo quod Webero in suspicionem uenerat: *nunc iam* tolli uix commemoratu dignum est. Verumtamen praecedente *Non* ne quis offendatur sequente *Et*, hos addam uersus: IV 6, 48 sq.

Non tulit hic Paetus stridorem audire procellae
Et duro teneras laedere fune manus.

Cf. IV 11, 24 sq.

Quare cum uersus s. d. 19 — 22 uel 13 — 22 non iam labi sed stare et inter se cohaerere uideantur, quaenam reliquorum elegiae uersuum ratio sit, quaeramus.

Versibus igitur 1—12 Iacobus existimat Cynthiam a Propertio implorari, ne fugiat. Neque tamen perseuerat u. d. in hac sententia postremo dubitans, utrum Propertius Cynthiam an Cynthia Propertium alloquatur.

Quodsi primum quaerimus, Cynthiamne Propertius alloquatur, id quidem hac de causa negamus: Ad quam personam haec elegia scripta est, ea comparatur cum Bellerophonte et cum Perseo et cum Mercurio; ergo Cynthiam eam personam esse nequaquam uerisimile est.

An Cynthia Propertium? Weberus quidem diss. s. d. illos uersus Cynthiae attribuit. Verum enimuero Cynthiae eiusmodi uersus abiudicandi sunt. Nam ut omittam Cynthiae dicentis personam nullo uerbo significari, quis credat in Cynthia fuisse tantam amoris constantiam, quanta uersibus illis cognosceretur. Cynthiam, quamuis poesi imbutam, amoris tam fidelis uatem fuisse consentaneum esse non uideatur. Sententiae autem his versibus expressae etiam aliis locis tam similiter pronuntiatae inueniuntur, cf.

I 1, 3: Tum mihi constantis deiecit lumina fastus
Et caput impositis pressit amor pedibus.
I 1, 29: Ferte per extremas gentes et ferte per undas.
I 5, 11: Non tibi iam somnos non illa relinquet ocellos.
I 10, 27: At quo sis humilis magis et subiectus amori,
Hoc magis effecto saepe fruare bono,

ut Propertium ipsum eumque non cum Cynthia sed cum uiro aliquo agere non sine aliqua ueritatis specie contendere nobis uideamur. Sed utrum poeta secum ipse colloquatur an cum amico, nunequidem in medio relinquimus, nec tanti momenti est; nihil enim impedit, quominus his primis duodecim uersibus cognoscamus; elegiam paucis quidem sed Propertianis uersibus conscriptam et ad exitum admodum amabilem perductam.

Tertia pars comprehendit uersus duodeuigenti (a. u. 23 usque ad finem) neque eam undique absolutam elegiam esse negauerim, ita tamen, ut quadam ratione cum media elegia cohaereat. Nam ut illic conuiuia, hic amorem defendit ab obiurgationibus senum morosorum. Versus autem 31 et 32: Quodsi nemo extat, qui uicerit alitis arma, Communis culpae cur reus unus agor? — post uersum uicesimum quartum locum obtinere iubeo. Quo modo mutato ordine illis uersibus nec sententiarum conexus turbatur, et *alitis* uox praecedente *Amoris* neminem iam offendet.

Versus autem 37—40

Hic ubi me prima statuent in parte choreae,
Et medius docta cuspide Bacchus erit,
Tum capiti sacros patiar pendere corymbos,
Nam sine te nostrum non ualet ingenium,

quomodo legendi uideantur, ut apte iis concludatur elegia, paucis explicaturus sum.

Uersu enim 40: Nam sine te etc. quemnam alium significare potest illud *te* quam Bacchum modo commemoratum, id quod totius carminis rationi repugnaret. Hoc enim carmen (a. u. 23) ad Cynthiae amorem defendendum institutum, eodem unde initium ceperit, nempe ad Cynthiam redire haud dubie uero propius est. Itaque iam Lachmannus et Iacobus pro *me* in uersu 37 *te* scripserunt, ad quod illud nouissimi uersus *te* referri itaque Cynthiam induci uolebant. Herzbergus quoque Cynthiae mentionem in fine carminis assequi studet, illi *te* nouissimi uersus nomen Cynthiae repetendum esse ex uerbo: *hic* u. 37 (hic i. e. tecum in patriis montibus) contendens. Ea autem, quae uult Herzbergus, inesse in uocula illa *hic* uix cuiquam possit probari

Sed etiam num Lachmannus et Iacobus *te* pro *me* u. 37 recte ponant dubito. Etenim choreae illius personas induci a poeta mihi persuasum est hasce: Poetam ipsum, Bacchum cum Cynthia, Musas; neque illo *me* mutato poetae eiecto alius locus tribuitur. Itaque cum nisi ordine choreae turbato, nemo enim removeri potest, *me* illud u. 37 non sit temptandum, num in alio superiore uerbo Cynthia lateat, quo nouissimi uersus illud *te* referatur, uideamus.

Versu 37: Et medius docta cuspide Bacchus erit, Ablatiuus *docta cuspide* pro *cum docta cuspide* positus ualde grammaticae rationi repugnat. Coniunctio enim: cum in tali constructione non omittitur, nisi adiectiuum praedicatum est; hic autem *docta* non praedicatum sed attributum est (Cf. Reisig. 713.) Ergo et grammatica ratione et conexu uersuum commotus sum, ut *docta cuspide* corruptum esse arbitrarer ex ***docta cum hospite.***

Nam Cynthiam iure suo et doctam appellat poeta (Cf. II 3, 16) et hospitem Bacchi, quippe cum ea fugerit ad illius dei et sororum roscida antra. —

Iam illis, quas supra dixi, rationibus adductus sum, ut quam elegiam quadraginta uersuum indiuiduam codices tradunt, quam iniuste deturbasse Scaligerus scribas queritur, quam Burmannus cum quibusdam et superioris et posterioris elegiae partibus

commixtam et concoctam edidit, quam alii ex quattuor alii ex pluribus laciniis consutam perhibent, — hanc denique elegiam dis iratis natam in tres partes uel elegias diuidendam esse ut arbitrarer iis, quas supra narraui, de causis sum commotus, eamque tripartitam propono atque interpretor hunc fere in modum.

El. I.

Quo fugis ah demens? nulla est fuga: tu licet usque
Ad Tanain fugias, usque sequetur Amor.
Non si Pegaseo uecteris in aere dorso,
Nec tibi si Persei mouerit ala pedes,
Vel si te sectae rapiant talaribus aurae,
Nil tibi Mercurii proderit alta uia.
Instat semper Amor supra caput, instat amanti,
Et grauis ipse super libera colla sedet.

Excubat ille acer custos et tollere numquam
Te patietur humo lumina capta semel.
Et iam si pecces, deus exorabilis ille est,
Si modo praesentes uiderit esse preces.

El. I.

Wohin, du Rasender! vergeblich Fliehn!
Enteilst du zu des Tanais Gestaden,
Gott Amor wird beständig mit dir ziehn.
Trägt dich der Pegasus auf luft'gen Pfaden,
Befördert Perseus Flügel deinen Lauf,
Wirst du die Flügelschuh im Aether baden,
Der Wolkensteg Mercurs — nichts hält ihn auf.
Stets aus der Höhe zielt er nach dem Haupte
Des Liebenden; der Gott schwingt sich hinauf
Und beugt den Nacken dem, der frei sich glaubte.
Sein scharfes Auge wacht und Niemand trug
Die Blicke frei, die er sich einmal raubte.
Doch fehltest du, so ist er hold genug,
Wenn du nur bleibst und um Verzeihung bittest.

El. II.

Ista senes licet accusent conuiuia duri:
Nos modo propositum, uita, teramus iter.

Illorum antiquis onerentur legibus aures,
Hic locus est in quo tibia docta sones,

Quae non iure uado Maeandri iacta natasti,
Turpia cum faceret Palladis ora tumor.

El. II.

So lass doch nur die strengen Alten zanken,
Ein Gräul ist ihnen unser trautes Mahl.
Lass uns, geliebtes Leben, ohne Wanken
Wie jetzt, die Wege gehn nach uns'rer Wahl.

Wir gönnen's ihnen, wenn sie sich die Ohren,
Beschweren mit verjährten Rechtes Schwall;
Doch diese Stätte hat sich auserkoren,
O zarte Flöte, deiner Lieder Hall.

Du litt'st, verworfen schwimmend in den Wellen
Maeanders, Unrecht ohne eigne Schuld,
Als du, weil bei dem Spiel die Wangen schwellen,
Verlorst der zornigen Minerva Huld.

Non iam dura paras Phrygias nunc ire per undas
Et petere *Icarii* litora nota maris

Jetzt sollst du dich nicht mehr grelltönend rüsten,
Zur Reise durch die Fluth im Phryg'schen Land,
Sollst nicht mehr schwimmen zu den Meeresküsten
Icariens, den Sängern wohlbekannt.

Spargere et alterna communes caede penates
Et ferre ad patrios praemia dira Lares.

Du sollst nicht mehr bespritzen die Penaten
Des Brudervolks im gegenseit'gen Mord,
Nicht mehr den Lohn für grausenhafte Thaten
Heimführen zu der Laren heil'gem Ort.

El. III.

Una contentum pudeat me uiuere amica?
Hoc si crimen erit, crimen Amoris erit.

Ich soll mich schämen offen zu bekennen,
Beglückt durch eines Mädchens Huld zu sein?
Willst du die Liebe ein Verbrechen nennen,
So trägt die Schuld Gott Amor ganz allein.

Quod si nemo extat, qui uicerit alitis arma
Communis culpae cur reus unus agor?

Wenn Niemand lebt auf Erden, der den Pfeilen
Des Flügelknaben siegreich widerstand,
So müssen alle solchen Vorwurf theilen;
Warum bin „schuldig“ ich allein genannt.

Mi nemo obiciat. Libeat tibi, Cynthia, mecum
Roscida muscosis antra tenere iugis.

Ich lass mich nicht deshalb zur Rede stellen.
Wenn dir es, meine Cynthia, gefällt,
So weile, wo die sanften Moose schwellen,
Sich kühle Grotten wölben, mir gesellt.

Illic aspicies scopulis haerere sorores
Et canere antiqui dulcia furta Iouis.

Dort schwebt auf Felsenhöhen auf und nieder
Der holden Musen schwesterliche Zahl;
Sie singen von dem Göttervater Lieder,
Wie er der Liebe Süssigkeiten stahl;

Ut Semela est combustus, ut est deperditus Io,
Denique ut ad Troiae tecta uolarit auis.

Wie er so heiss für Semele entbrannte,
Wie er in Io sterblich sich verliebt,
Und wie er endlich sich nach Troja wandte
Und dort als Adler Frevel ausgeübt.

---

*) Spero me, qod non sine insta causa u. 35 et 36 omiserim, a lectoribus veniam esse impetraturum.

Nec tu uirginibus reuerentia moueris ora:
Hic quoque non nescit, quid sit amare, chorus.

Auch wird nicht schüchternes Erröthen zeigen
Bei deinem Nahn der Mädchen Angesicht,
Denn das versteht auch dieser Schwestern Reigen,
Wenn Liebe laut in ihrem Herzen spricht.

Hic ubi me prima statuent in parte choreae
Et medius docta *cum hospite* Bacchus erit,

Wenn hier sie sich zum Reigentanze einen
Und mich zum Führer wählen ihrer Schaar,
Und wenn der Gott des Weines mit dem feinen
Und fremden Mädchen tanzt als Mittelpaar:

Tum capiti sacros patiar pendere corymbos:
Nam sine te nostrum non ualet ingenium.

Dann will ich dulden, dass mein Haupt umgeben
Des Epheus Trauben, unsres Gottes Gruss;
Denn nur mit dir vereint kann sich erheben
Zu grosser That mein Dichtergenius.

Druck von E. Thielmann in Creuzburg.